

XIII. Robustiore igitur campanam illi tenuiori substituentes, accendimus unâ duo enthymiamata sive suffimenta (vulgò Rauchkäpflein dicta) ejusdem quam proximè magnitudinis, alteroq̄ue sub aperto aëre relicto, alterum campanæ submissimus antliam strenuè exercentes, statimq̄ue Phæn. IX. notavimus ignem in suffimento incluso circa supremas hæ- rere partes, fumumq̄ue ascendentem magis magisque im- minui, integro servato maximam partem suffimento, cum interim alterum in aëre libero positum ferè totum deflagra- set. Et cum tandem, epistomio aperto, campanæ reddere- mus exhaustum aërem, ita suffimenti residuos igniculos è suis cineribus quasi resuscitaturi, frustra quidem hac vice fui- mus, igne jam penitus extincto; sed aliâ vice, cum tempori Phæn. X. subveniremus deficientibus igniculis, per novi aëris affla- tum & ardere de novo suffimentum & fumare copiosius cœpit. Neque negligenda hoc loco ea circumstantia, quod inter exantlandum, quoties pistillum retroagebatur in ant- liam, toties in campanam ascendere spectaverimus per epi- Phæn. XI. stomium apertum nubeculam quandam fumosam ac ni- gram, quæ satis testabatur, fumum antea cum aëre exhausto deorsum præter morem ac solitum fuisse latum.

XIV. Dum hæc sub Campana antliæ tentamus ex- perimenta, venit in mentem aliquid circa campanam Uri- natoriam, aut ejus potiùs formam modicam, Tentam. I. Part. I. num. VIII. descriptam periclitari. Si verum est, ar- guebamus, aërem intra campanam vi elateris sui sustentare non aquæ circumstantis solùm columnas, sed aëris externi quoque aquæ incumbentis pondus; necessum erit, ut ex- terni aëris præssione remotâ, internus elasticâ suâ virtute am- pliùs se expandat & aquam tandem infra marginem suum deprimat, exitum adeò, per infera violenter sibi reperiens. Gestiebat animus, quod imaginando jam spectabat, etiam oculis videre Phænomenon. Parabamus ergò ex ferreo filo fulcrum quadrupes ex quo parvula campana vitrea suspendi